



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 1. In genere.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

# TITULUS VI. BENEFICIA.

## §. I.

## In genere.

**D**A promptè. Exornat, beneficium, promptò animò, ac hilari vultu, dedisse; deonestat, asperis verbis, & favà facie donasse. Qui placidè exiguum dedit, fuit beneficus; qui multùm torvè, ac adductis superciliis, injurius. Sen. l. 2. de benef. c. 3. Ingentia quorundam beneficia silentium, aut loquendi tarditas; imitata tarditatem, & tristitiam, corrumpit, cum promitterent vultu negantium; quantò melius adicere bona verba rebus bonis, & prædicatione humanà, benignaque commendare, quæ præstas; ut illum castiges, quòd tardior in rogando fuit &c. Jos. 14. 13. dum peteret Caleb - da mihi ergo montem istum &c. Josue benedixit ei, & tradidit ei Hebron in possessionem. Naxera in Jos. 14. §. 41.

*Viditque in somnis scalam &c.* Gen. 28. 12. &c. Petenti Jacob avunculi domum, ut iram fratris vitaret, & in itinere dormienti Deus scalam innixus objicitur, amplè ei sunt promissiones. Jacob gratus surgens manè iulit lapidem &c. & erexit in titulum. Post multa tempora patriam repetens difficilis certaminis invenit stadium. *Vir luctabatur cum eo usque manè.* Gen. 32. 24. Luctatus vicit, benedixit ei in eodem loco. v. 29. Hic Jacob nec gratitudinis erigit columnam, nec locum illum appellat celestem aulam. Discrimen: ibi vel dormienti ingeruntur beneficia, & officia, hic post certamina impetrat: *flevit, & rogavit eum.* Gratius fuit sponte manans, quam lucta extortum beneficium. Id. ib.

*Egressæ sunt aquæ largissima.* Num. 20. 10. 11. Deus autem liberalitatem suam queritur obsecratam, & fratribus infert malitiam: *quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me.* v. 12. Quæ hujus querelæ, & poenæ, causa? quia asperis verbis beneficium impetiverunt: *audite*, exprobrabit illis Moyses, *rebelles, & increduli* v. 10. &c. Nonnulli facilius tolerassent sitis molestias, quam verborum injurias. Abul. q. 8. populus, videns miraculum tantum, laudasset Dominum; sed quia Moyses, & Aaron, inceperunt objurgare totam multitudinem vocando incredulos, & rebelles; ideo multitudo turbata animò ex dura reprehensione, etiam videns miraculum, non laudavit Dominum. Adde, Deum hic iratum, quia petra, geminò ictu percussa: nec enim haberi poterat beneficium, quod violenter ad speciem appareret extortum. Id. ib.

*Commoda mihi tres panes.* Luc. 11. 5. Dedit amicus. *Dabit illi, quorquos habet necessarios.* Hujus donationis non video relativam gratiam. Joan. 6. 14. Cum homines pa-

Polyanth. Sacr. Tom. I.

nibus pasti Prophetam acclamarunt benefactorem: *illi ergo homines cum vidissent &c.* Discrimen: dedit amicus amico, sed post aspera verba: *noti mihi molestus esse;* Luc. 11. 7. post longas preces: *propter improbitatem;* post tractas moras: *jam ostium clausum est.* At in deserto panis non petentibus datus. Id. ibid.

## §. II.

## Beneficiorum Divinorum copia.

## Ex Veteri, Novo, &amp; Patri-

bis.

*Visitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem.*

Ex. 20. 5. Cajet. cerne differentiam, quòd vindicta non extenditur ultra quatuor filios, beneficia autem extenduntur in millia. Ad significandum, quòd ad bona est Deus propensissimus; ad inferendum autem mala est parcus. Et ratio est: quia bona sua confert spontè, mala autem infert exigentibus demeritis nostris, Sylv. in Act. ap. 2. q. 6.

*Percutit, & manus ejus sanabunt.* Job. 5. 18. Deus unà manu percutit, sed duabus sanat. *Addidit Dominus omnia, quæcumque fuerunt Job, duplicia.* Job. 42. 10. Lud. de Ponte in Cant. 1. Exh. 12.

*Introduxit me Rex in cellaria.* Cant. 1. 3. Ad significandam eximiam abundantiam horum cellariorum. Lud. de Ponte hic.

*Fasciculus myrrha.* Cant. 1. 12. post agens de ejus liberalitate: *emissiones tuæ paradysus.* Cant. 4. 13. Myrrha tribulatio. Per emissiones Theodoretus intelligit omnes virtutes; & Cat. PP. omnia dona S. Spiritus, quibus anima recreatur, & impinguatur. Sylv. in Act. Ap. cap. 2. q. 6.

*Decora sicut Jerusalem.* Cant. 6. 3. laudatur à Jerem. Thr. 2. 15. *urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ;* maxime autem tempore Salomonis erat laudatissima, ab amplitudine, fortitudine murorum, à divitiis: *tanta enim erat abundantia argenti-quanta lapidum.* 3. Reg. 10. 27. Vocat ergo Christus Ecclesiam decoram sicut Jerusalem: quia omnium virtutum, & gratiarum ornamenta in illam congestit. Lud. de Ponte hic. l. 9. Exh. 1. §. 2.

*Ad punctum, in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te.* H. 54. 7. Sex diebus creavit Deus omnia, 40. diebus omnia aquis diluvii destruxit: ut ostenderet promptitudinem suam in præstandis nobis beneficiis, & tarditatem in puniendo; qui dicit per H. 61. 2. *ut predicarem annum placabilem Domino, & ærem ultionis Deo nostro.*

X 2

Placa-